

# THE CHARTER OF MARYLAND

nostris heredibus et successoribus nostris prefato modo baroni de Baltimore et heredibus suis concedimus quod prefatus modo baro de Baltimore et heredes sui per se vel per magistratus et officarios in ea parte debite ut prefertur constituendos ordinationes idoneas et salubres de tempore in tempus facere et constituere possint et valeant infra provinciam predictam custodiendas et observandas tam pro custodia pacis quam pro meliori regimine populi ibidem degentis easque omnibus quos eadem aliquo qualiter tangunt seu tangere possint publice innotescere. Quas quidem ordinationes infra dictam provinciam inviolabiliter observari volumus sub penis in eisdem exprimentis ita quod eadem ordinationes sint rationi consonae et non sint repugnantes nec contrariae sed (quoad convenienter fieri potest) consentaneae legibus statutis aut juribus regni nostri Angliae. Et ita quod eadem ordinationes se non extendant ad jus vel interesse alicujus personae sive aliquarum personarum de aut in membro vita libero tenemento bonis seu cattalis aequaliter astringendum ligandum onerandum seu tollendum.

**IX.** PORRO ut nova colonia populi eadem confluentis multitudinis felicitas crescat pariter et a barbarorum aliorumve hostium piratorum et praedonum incurribus firmiter muniatur. Idcirco nos pro nostris heredibus et successoribus nostris omnibus hominibus et subditis nostris heredum et successorum nostrorum ligeis praesentibus et futuris nisi quibus id specialiter fuerit interdictum se familiaeque suae ad dictam provinciam cum idoneis navigiis et comitatu congruo transferendi sedesque suas ibidem collocandi incolendi et inhabitandi castraque et castella seu alia fortalitia ad prefati modo baronis de Baltimore et heredum suorum arbitrium pro defensione publica et sua exstruendi et muniendi facultatem licentiam et libertatem damus et concedimus per praesentes statuto de fugitivis vel aliis quibuscunque in contrarium praemissorum in aliquo non obstantibus.

**X.** VOLUMUS etiam et ex uberiori gratia nostra pro nostris heredibus et successoribus nostris firmiter praecipimus constituimus ordinamus et mandamus quod dicta provincia de nostra ligeantia sit quodque omnes et singuli subditi ac ligei nostri heredum et successorum nostrorum in prefatam provinciam deducti vel deducendi ipsorum et aliorum de ipsis deducendum liberi ibidem seu jam nati seu in posterum nascendi sint et erunt indigenae et ligei nostri heredum et successorum nostrorum regni nostri Angliae et Hiberniae. Ac in omnibus teneantur tractentur reputentur et habeantur tanquam fideles ligei nostri ac heredum et successorum nostrorum infra regnum nostrum Angliae oriundi nec non terras tenementa reventiones servitia et alia hereditamenta quaecunque infra regnum nostrum Angliae ac alia dominia nostra hereditare seu aliter perquirere recipere capere habere tenere emere et possidere ac eis utriusque gaudere eaque dare vendere alienare et legare. Ac etiam omnia privilegia franchises et libertates huius regni nostri Angliae libere quiete et pacifice habere et possidere eisque uti et gaudere possint tanquam ligei nostri infra dictum regnum nostrum Angliae nati seu oriundi absque impedimento molestatione vexatione impetitione sive gravamine nostrari heredum vel successorum nostrorum quorumcunque aliquo statuto actu ordinatione seu provisione in contrarium inde non obstante.

**XI.** PRÆTEREA ut subditi nostri ad expeditionem hanc prompto et alacri animo suscipiendam incitentur. Sciatis quod nos de gratia nostra speciali ex certa scientia et mero motu nostris tam prefato modo baroni de Baltimore et heredibus suis quam aliis omnibus de tempore in tempus habitandi vel cum incolis provinciae predictae commercium habendi causa in provinciam illam profecturis omnia et singula sua bona tam mobilia quam immobilia mercés et mercimonia annonam etiam generis cujuscunque aliaque ad victum et vestitum necessaria quaecunque per leges et statuta regnorum et dominiorum nostrorum extra eadem regna deportari non prohibita in quibuscunque portubus nostris heredum et successorum nostrorum in naves imponendi et onerandi et in dictam provinciam per se vel servos aut assignatos suos traducendi absque impedimento vel molestatione nostrari heredum vel successorum nostrorum vel aliquorum officiariorum nostrorum heredum vel successorum nostrorum (salvis nostris heredibus et successoribus nostris impositionibus subsidiis custumis et aliis pro eisdem rebus et merchandizis debitis et solubilibus) plenam tenore praesentium licentiam damus et concedimus aliquo statuto actu ordinatione aut alia re quacunque in contrarium non obstante.

**XII.** QUIA vero in tam longinqua regione inter tot barbaras nationes posita tam ipsorum barbarorum quam aliorum hostium piratarum et praedonum incurris verisimiliter timeri poterint. Idcirco praefato modo baroni de Baltimore ac heredibus et assignatis suis per se vel per capitaneos aut alios officarios suos omnes homines cujuscunque conditionis aut undecunque oriundos in dicta provincia de Terra Mariae pro tempore existentes ad vexilla vocandi delectus habendi bella gerendi hostesque et praedones